

III.

NEOVIDENSIS

Nro 48. (*Neovidensis Nro 71.*)

Secretum litterarum commercium vivos inter ac mortuos.

Senicula uxor ex campis elysiis salutem nunciat suo juveni marito viventi.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 14. Sept. 1804. (Neov. 31. Aug.)

Quam mortis meæ denunciationem Hamburgensibus novis curasti inseri, magno cum animi motu legi. Omnino non poteram risum tenere, cogitaram enim, velle te in nostram conjugalem vitam satyram scribere. Me tibi esse ereptam lamentaris, & in amaros effunderis questus, nominas me tuas delicias, tuam præstantem conjugem. Secundum jam committis mendacium: Primum mentitus es, dum me uxorem accepisti, & tunc iterum, postquam naturæ debitum solvi. Absit, ut aliquod probrum tibi objiciam; Vix tibi meum patrimonium transcripsi, illico tuus erga me amor refrixit, tibi optime notum est, quomodo me habueris, qua ratione vitam transegerim. Invaletudo mea diu exercuit tuam impatientiam, tibi, & tuæ futuræ uxori sæculo durare videbatur, sed hæc missa facio, id unum assero, me ex hac vita decesisse cum tristi illa cognitione, quod,

dum eo dementiae delapsa sum, ut in te maritum meum consentirem, non me, sed meas pecunias quæsiveris. In his tamen sedibus beatis solutio mihi est, adesse complures Manes, qui eandem mecum in vivis experti sunt sortem. Illi pariter sapidissime riserunt illam meae mortis significationem, praesertim vero mendacia, quibus respersa erat. Memini me in quodam opusculo, a Contradictore composito, legisse dissertationem, fato meo apprime consentaneam; hanc tibi submitto, ut rite perpensa sit documento, vehementer enim vereor, ne suo tempore in eandem, quam mihi fecisti, incidas foveam. Dissertationis sententia hæc erat:

Quis vertit vitio, si propinqui, amici, & conjuges suos mortuos lugubri lamentatione, & fletu prosequantur? At eorum mortem in publicis ephemeridibus significare non nisi in certis rerum adjunctis licet, ibidem autem iisdem justa funebria peragere, res est omnino risu digna. Quid refert Publici scire, an hic civicus excubiarum magister, aut ille vectigalium exactor &c. abierit ad Patres conscriptos, necne? Hoc quidem adhuc excusari posset, nam nomina, quorum memoria secus perpetuis involveretur tenebris, fiunt orbi pro exiguo temporis intervallo nota, potissimum autem sexui foemino, qui nova solet legere initium sumendo a fine. Sed cui usui sunt panegyricæ mortuorum laudes, quæ sæpe fastidium pariunt audientibus? Quid prosunt simulatæ

declarationes inexplicabilis doloris? Si vita
 fundus fuit vir omni genere virtutum orna-
 tus, inde ipse maximum capit fructum, &
 etiam cedit hoc honori sanguine junctis:
 Publico autem fidem faciunt non factiosa
 laudum præconia, sed facta integritatem mo-
 rum testantia, tanta namque vis est probita-
 tis, ut eam vel in hoste diligamus. Quid
 vero tum, cum hæc elogia & mentita, &
 falsa, & erroris plena sunt? dum illi qui
 mortuum penitus noverunt, longe aliud de-
 promunt iudicium? dum paulo post Magi-
 stratus indicit concursum Creditorum, qui
 residuum ejus patrimonium inter se distri-
 buant? dum proles paupertatem sibi a Pa-
 tre in fructuoso, & opimo officio constituto
 pro hæreditate relictam nequeunt occulta-
 re? Hæc manifeste discordant cum virtuti-
 bus eidem in publicis novis attributis.

Quod autem omnium oculos in se con-
 vertit, illud est, quod in ejusmodi annuncia-
 tionibus fere omnes mortui dicantur evola-
 visse jam in cœlestes orbes, ubi laborum
 finis, ubi vera, & solida felicitas. Utique ni-
 hil facilius, quam spem perveniendi ad cœ-
 los promereri, præsertim cum id non pro-
 priis, sed alienis possit fieri meritis. Sina-
 mus cognatos, & amicos nostros cum hæc
 jucundissima cogitatione decedere, at Publi-
 co, quod de salute æterna eorum, quos E-
 phemerides inter Cœlites referunt, merito
 dubitat, talem fidem obtrudere non oportet.
 Tali occasione nonnulli fingunt pietatem, cui

non assueverant, præferunt officia virtutis, & piæ actiones, qui alias perditis, & profligatis erant moribus. Quam sæpeveniunt talia exempla ex contemptu rerum divinarum!

Quo denique vultu excipienda est illa comploratio, & planctus, dum persona amittitur, ut ajunt, dilectissima? Verus dolor elinguis est, vix se potest in sinum familiarissimorum effundere; taceo, ut publicos novorum commentaricos repleat. Si idmodi significationes per alios quacunque demum ratione instituantur, offendunt hi luctui deditos, suppeditant enim occasionem amarissimis, iisque effæminatis querimoniis, & sæpe gravioribus, quam commiseratio exigit, immergunt doloribus. Quam levi labore possent exempla in medium proferri, ubi eadem nova, quæ maritis orbatarum querelas continent, easdem paucum post tempus mendacii arguant. Viduæ lamentantur se cum morte mariti irreparabile incurrisse damnum, & intermisso brevi tempore se novum inituras matrimonium publice proponunt. Parentes deflent amissas proles, & paulo post motivo numerosæ familiæ Publicum ad misericordiam sibi exhibendam flectunt. Et quid tandem sibi vult miserabile carmen in proles recens natas, & decrepitos senes, seu in vitam vix acceptam, & alteram jam finitam? Quis dicit damnum, si semen terræ mandatum non prodeat? quis miseratur sortem floris, qui suo tempore defloruit? Nonne ma-

nifestum probat defectum omnis sensus, ibi velle sentire aliquid, ubi nihil potest sentiri.

At dicet aliquis, ad quid hæc publicorum novorum accusatio, quibus alioquin judicare de vero talium rerum sensu non competit? Si nova communi morum culturæ, cogitandi, & agendi rationi pondus addunt, profecto, quid quid culta, & veneratione digna prostituit sensa, eaque risui exponit, pessimas habet sequelas, adeoque illis imputari debet omne damnum, quod ex susceptione talium mortis annunciationum oritur, in quibus tristitia fingitur, & indignis encomia tribuuntur.

Hæc sunt, quæ adhuc animo, & memoria teneo de mortuorum publicatione; De illa autem, quam de mea morte curasti fieri, sufficiat dixisse, illam nec ex animo, nec veritate profectam esse.

Inveni hic loci senem virum ecclesiasticum, nostrum quondam amicum, eique tuum circa me agendi modum exposui, at vir bonus ita fuit negotiis ecclesiasticis immersus, ut loco consolationis sequentia mihi legerit:

Die 13. Mensis Augusti Senator Fouchius, & universalis politiæ Minister scriptum dedit ad omnes Regni Episcopos, quod ob sua, quæ continet principia, meretur, ut ad omnium notitiam deveniat: Ista autem in eo comprehenduntur:

Mea negotia muneris, & vestræ Dominationis multifariam inter se junguntur. Mea sunt, delicta præcavere, ne imponatur ne-

cessitas eadem vindicandi; Vestræ Dominationis autem, intentionem, & ipsam cogitationem delinquendi in animo suffocare.

Commune nobis propositum est, ut securitatem regni per rectum rerum ordinem, & veram virtutem promoveamus.

In optimis finibus obtinendis periculum est, ne spiritualis potestas, qua V. D. prædita est, non assequatur, quod intendit, nisi mea autoritas adjumento foret, & omnia, quæ sacri Imperii executionem remorari possent, e medio tolleret.

Princeps Ecclesiæ! Hunc titulum aliquanto adhuc tempore pauci quidam prioris regiminis Episcopi, qui se a communione catholica separarunt, & nonnulli Presbyteri, quos revolutio inflatos, sed non sapientiores effecit, in controversiam vocant. Illi propugnant, se Christi legem, & primorum Christianorum disciplinam fidelius Vestra Dominatione profiteri, isti autem revolutioni, ejusque veris principiis magis adhærere.

Vestra Dominatio inter duo sibi opposita extrema consistit in medio. Hæc statio manet semper sapientissima, & verissima.

Illi opponunt errores sæculorum, & ignorantia, isti hyperbolicis utuntur expressionibus, quas revolutio procudit.

Et quæso, quid possunt cum veritate obtendere illi Episcopi, qui unionem Catholicorum deseruere? Ubi illam rursus quærent, & invenient? Forte non est reversa vera religio ad nostras Ecclesias propterea, quod

Principes Burbonici thronum non recuperaverint? Sed quis alter thronus, quam ille Sanctissimi Patris necessariam semper habuit cum catholica religione connexionem? Quod fidei symbolum, aut qua pia Traditio docet, vel minimum intercedere nexum inter Dynastiam Burbonicam, & veram, ac immaculatam existentiam Ecclesiæ Gallicanæ?

Unio nostræ Ecclesiæ cum omnibus Catholicis, & cum Romano Pontifice non est interrupta tunc, dum Romanum Imperium transiit ad familiam Merovingicam, ab hæc ad Carolingicam, & ab hac iterum ad Capeticam; Quo pacto ergo potest asseverari eam intercidisse, quod a Burboniis translatum sit imperium in stirpem Napoleonis Bonaparte?

Pertractatio quæstionum politicarum non ad Religionem pertinet, sed ad nationes: Ea de causa illas Gallia semper pro se juxta suum genium, aut præcepta experientiæ decedit, terminavit.

Vestra Dominatio longe majore pollet intelligentia, quam ut necesse judicem in memoriam revocare, quam necessarium sit sine intermissione vigilare, ut leges de politia, & libertate religionis latæ executioni dentur. Si curatoribus animarum sibi subjectismitteret, ut eas possint modificare, aut plane transgredi, nullus esset arbitrariarum usurpationum finis. Cupiditates, & affectiones animi extendunt in immensum, quod possunt ab imbellibus extorquere.

Libertas Religionis est lex civilis, & jus naturale hominum; Hæc hodie apud omnes nationes civitate donata est. Quapropter non potest Vestra Dominatio amplius fidem Catholicam, cujus primus Minister est, aliter promovere, quam ingenii dotibus, & virtutibus Evangelicis. Hoc sæculo, quod agimus, illa religio habetur optima, quæ bonis moribus, & legibus observandis fortissima suggerit motiva. Divinum fidei signum est, benigne agere, uti ipse Deus.

Sua Majestas Cæsarea perspiciet se fiduciam in Vestra Dominatione frustra non collocavisse, si observaverit per Sermones sacros ad populum habitos odium, & discordiam exterminari, amorem autem erga omnia, quæ patriæ utilia sunt, in Ecclesiis, & coram imaginibus sacris reflorescere; Hac ratione felicitas reipublicæ, illorumque omnium, quorum conscientias regit, erit certissimum argumentum, Dominationem Vestram meritam esse præmia, quæ Religio promittit.

His commendatus maneo

Fouchius.

In hunc modum loquitur Gubernium, a quo procul abest suam fortitudinem debilitati ingenii suorum civium superstruere, & quod unius cujusque convictioni, ac conscientiae relinquit, Deum secundum propriam cognitionem & fidem venerari, & colere.
